



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Martini Lvtheri Piae Ac Doctae Operationes In Dvas Psalmorvm Decades

Luther, Martin

Basileae

VD16 L 5540

Quoniam rex sperat in domino, & in misericordia altissimi non
commouebitur.

urn:nbn:de:hbz:466:1-37005

Regem gloriosum audiuimus, nunc sacerdotem salutarem & æternum au-
dimus. Aliqui putant Christum datum in benedictionem, quod ab omnibus
in æternum benedicitur, quo tropo sæpius in Prophetis de populo Israel dicitur,
quod in fabulâ, in prouerbium, in sibilum, in similitudinem tradatur. Et Gen. xij.
ad Abraham: Erisq; benedictio (sic enim hebræus habet) quod noster dicit
Erisq; benedictus. Isaia. xix. Erit Israel in medio terre benedictio, cui benedi-
xit dominus. lxx. Quomodo si inueniatur granum in botro, & dicitur, Ne dis-
sipes illud, quia benedictio est, sic faciã propter seruos meos, ut non disperdam
totum. In quibus locis & alijs multis, benedictio passiuè accipitur, Hebræus
autem, sic dicit: Quoniam dabis eum benedictiones in æternum, numero plu-
rali, quod & si passiuè accipi possit, quod hic rex a plurimis benedicat, & a deo
multis benedictionibus repleatur, tamen puto actiuè accipiendum, iuxta illud
Gen. xxij. Et in semine tuo benedicentur omnes gentes. Nam benedictiones
quibus in psona sua a deo benedictus est, superiori uersu abudè eccinit: Quo-
niam præuenisti eum in benedictionibus optimis.

Quare benedictiones æternales & cœlestes hic intelligo, quibus Christus,
ut sacerdos æternus, accepto spiritu, benedicit suos, sicut, ij. Corinth. j. dicit: Be-
nedictus deus & pater domini nostri Iesu Christi, qui benedixit nos omni be-
nedictione spiritali in cœlestibus in Christo, idem enim arbitror, in Christo
nos benedici spiritali benedictione cœlestium rerum, & Christum dari bene-
dictiones in æternum. Sacerdotis autem est benedicere, hoc genere benedictio-
nis, quo bona cōferuntur. Cæterum uulgare, illud benedicere, quo laudamus
bona habentes, & felicitatem imprecamur, omnium est, etiam inferiorum, &
omnino illa maiorum, ista minorum est. Atq; hæc nostra est gloria & iactantia,
quod Episcopum habemus, per quæ maledicta, quibus in Adam sumus mul-
tati, mutantur & absorbentur, adeo ut nulla nobis maledictio temporalis, siue
sit illa peccati, siue hominum maledictio nocere possit, quin potius prodesse
per abundantem & æternam illam in Christo benedictionem cogatur. Certe
dulcissimum uerbum, omnibus qui in Christum credunt, habere proprium
Pontificem, & omnia nobis benedicentem.

Lætificabis in gaudio uultus tui.

Hoc non potest intelligi, nisi de beatitudine, quam reuelata gloria maiesta-
tis habet. Gaudium enim uultus dei, gaudium est de reuelata facie dei, noster
autem interpres, præpositionem, cum, recte omisisset.

**Quoniam rex sperat in domino, & in misericordia altissimi
non commouebitur.**

*Spei propria
diffinitio.*

Hæc omnia dicta ueniēt ei, quia sperauit & non est motus. Atq; hic pulchra
& propria spei periphraſis, seu potius diffinitio ponit, sola omnes impias opi-
niones de spe traditas, confutare potens. Sperare enim in dño, idem est quod
non moueri in misericordia altissimi, sed stare & expectare. Sane, gaudere &
delectari in misericordia præſente, facillimum est, sed absente, & malis undiq;
preſentibus quæ tribulant, impellunt, commouent, ad desperationem nõ mo-
ueri, non cedere, sed contrariã expectare, hoc demum est uere sperare, sed ar-
dua res iſta, de qua psal. v. plura. Quo circa caueant, qui spem ex meritis pro-
uenientem docent, Spes certe, ut hic docemur, misericordiam dei ſpectat, ſicut
timor iram & iudicium. Sperans enim, In misericordia dei non commouetur,
Timens

Timens autem, ab ira dei non quiescit, Si ergo Christus innocētissimus in domino sperare, & in misericordia dei non motus scribitur, qui sumus nos, qui iudicium dei, nostris uiribus & studijs, ac nō potius sola misericordia dei superare conamur? Scripta sunt hæc ad doctrinam nostram. Auertendus ergo timen- tibus nimum, a iudicio & ira dei oculus mētis, & ad misericordiam uertendus, Rursus in phrynitis & duris frontibus a misericordia ad iudicium uertendus, ut humilietur.

Inueniatur manus tua omnibus inimicis tuis, dextera tua inueniat omnes qui te oderunt.

Prosequitur regis huius uictoriam, in hostibus subiectis. Noster interpret uarietate solita, idem uerbum actiuum utrobique, inueniat, passiuum fecit, inueniatur, est enī tautologia, sicut psal. ij. Qui habitat in caelis iridebit eos, & dñs subsannabit eos. Potius autē inimicos & osos dei, q̄ Christi eos appellat, ea causa, qua sepius dixi, ut sciremus deum pro nobis uindicare & pugnare, sicut dicit: Mihi uindicta & ego retribuam. Et psal. cix. Donec ego ponam inimicos tuos, scabellum pedum tuorum. De manu dei, psal. xvj. abunde diximus, in uersu, Auiris manus tuæ, Potētiam enim & opus uindictæ significat. Igitur de iudæis Christum occidētibus loquitur, qui aduersus dominum & aduersus Christum eius conuenerunt, & adhuc in eadem impietate perseverant.

Sed qd hoc? Amisit ne eos manus dei, ut necesse sit eos inueniri a manu dei? Verum hoc tropo, apte ostēditur præsumptio & securitas inimicorum dei, qui ita secure & confidenter agunt, ac si non essent in potestate dei. Quin zelo stultitæ suæ promittunt sibi, non tantum impunitatem, sed & præmium, arbitrati se obsequium præstare deo, ut iam nihil minus q̄ manum dei suspicetur, sed in sinu dei sibi nidum collocasse uideantur. His ergo continget, sicut impijs, qui subito dum nō sperant inueniuntur. Sic. ij. Cor. xj. Timeo ne cum uenero, non quales uolo, tales inueniam, & ego inueniar a uobis, qualem non uultis,

Pones eos ut clibanum ignis in tempore uultus tui, dominus in ira sua conturbabit eos, & deus orabit eos ignis.

Ponit rem pulchre ob oculos Propheta, Sic enim agitur, quando impij subito inueniuntur, uisitantur, & comprehenduntur inter angustias, ut fugere con- spectum illū iræ, seu reuelationem iudicij iusti dei uelint, & fugere nō possint, dicatq̄ illud Osee. x. Mōtes cadite super nos, & colles operite nos, Sed frustra coguntur enim diem illam & reuelationem æternam sustinere, ibi tum incipit pavor, fuga & horror intolerabilis, qui facit eos æstare igne illi interno inextinguibili. Nihil est externus ignis ad hunc ignem internū comparatus, ita, ut pro- priissime eos figuret, per clibanum ignis, seu, ut latine dicimus, clibanum ar- dentem, qui non igne circumposito, sed intus æstuate & ardente scuit, Sic & Abraham Gen. xix. Videbat Sodoma & Gomorra, sicut fumum fornacis. Hanc principem & intolerabilem pœnam, solo uultu suo inferet deus, id est, reuelatione iræ suæ, sicut hic dicit: In tempore uultus tui, pones eos clibanum ignis. Et. ij. Thessal. j. Qui pœnas dabunt in interitu sempiternas a facie domi- ni, & a gloria uirtutis eius, Et psal. xxxiij. Vultus autem domini super faciētes mala, Deniq̄ hæc est pœna illa, quam nisi damnati, qui sentiunt, nemo com-
O o iij prehendit,